

VITA HUGONIS VICTORINI

**IN QUA INSERITUR EPISTOLA OSBERTI
DE MORBO ET OBITU HUGONIS**

**PROEMIA EDITIONIS
ANNI MDCXLVIII (1648)**

VITA HUGONIS VICTORINI

IN QUA INSERITUR EPISTOLA OSBERTI DE MORBO ET OBITU HUGONIS

PROOEMIA EDITIONIS
ANNI MDCXLVIII (1648)

Index

VITA HUGONIS VICTORINI.

*EPISTOLA OSBERTI DE MORBO ET OBITU
HUGONIS.*

QUAE HUGONIS EXCESSUM CONSECUTA SUNT.

VITA HUGONIS VICTORINI
IN QUA INSERITUR EPISTOLA OSBERTI
DE MORBO ET OBITU HUGONIS

PROOEMIA EDITIONIS
ANNI MDCXLVIII (1648)

VITA HUGONIS VICTORINI

Hugo de Sancto Victore illustri apud Saxones genere ortus, illustriorem reddidit decimi saeculi finem, in quo lucis usuram accepit. Is teneriorem puerorum cum impleret aetatem, in dioecesi Halberstadensi traditus est monasterio Sancti Pancratii ut ab ejusdem canonicis regularibus institueretur. In litterarum vero studiis progressus fecisse non mediocres docet, cum notissima rei ipsius veritas, tum ipsemet Hugo lib. III Didasc. cap. 3. Verba si quis requirit, haec sunt: Ego affirmare audeo, nihil me unquam quod ad eruditionem pertineret contempsisse, sed multa saepe didicisse, quae aliis joco, aut deliramento esse viderentur. Memini me, dum adhuc scholasticus essem, elaborasse, ut omnium rerum oculis subjectarum, aut in usum venientium vocabula scirem, perpendens libere illum naturam rerum non posse prosequi, qui eorumdem nomina adhuc ignoraret. Saepe nocturnus horoscopus ad hiberna pervigilia excubavi. Ubi autem decimum octavum aetatis annum attigit, saeculi fugam meditari coepit. Id communicat patruo Hugoni Halberstadensi Ecclesiae archidiacono, qui statim in hujus consilii partem venit. Ambo igitur pares animis patria excedunt. Proficiscuntur Massiliam ad monasterium Sancti Victoris, ibique, precibus Deo profusis ac dono acceptis clarissimi martyris pignoribus Lutetiam Parisiorum

advolant; exciti nascentis Victorinae domus fama, quae tunc late per orbem longeque disseminabatur. Haec porro sacra pignora erant dens unus, et nonnulla capitis ac scapulae praesegmina, quae offerunt Gilduino abbati Sancti Victoris primo, in cujus manus vota emittunt, sanctique Augustini Regulam profitentur. Tunc praeter propter annus erat Domini millesimus centesimus decimus quintus; et decimus septimus Junii dies, quo haec acta sunt, non sine divini numinis afflatu. Hinc post aliquod tempus confirmata votorum emissione Hugo philosophicis primum, deinde theologicis monasterii scholis praeficitur; quarum uberes fructus plaudentium omnium, qui hunc magistrum audierant, approbatio brevi testata est. Quippe ex tam eximii viri disciplina innumeri celebres prodierunt et philosophi et theologi, qui haustam ab illo doctrinam ubique gentium profuderunt, atque ad diversos ecclesiasticae dignitatis apices etiam summos inoffenso pede iverunt. Quid commemorem abbates, quid episcopos, quid cardinales, quid alios quorum vel solis describendis nominibus pagina non sufficeret? Sua sunt unicuique gesta, unicuique vita. Suam Hugo, non discipulorum vitam vixit. Hic ornamenta propria, non aliena quaeruntur. Igitur magister Hugo cum in hoc scholastici exercitii genere, tum in aliis, quae ad pietatem, et sincerum religiosae observantiae cultum pertinent, omne reliquum vitae tempus quod annorum XXV fuit, diligenter insumpsit. Quamobrem alios conscripsit libros, qui Scripturarum sensum et divinos sacramentorum ritus explicant; alios vero, qui religiosae vitae pie laudabiliterque instituendae rationem tradunt; alios tandem, qui variam ac multiplicem eruditionem complectuntur: quae omnia sine dubio fecerunt ut Hugo, et sui temporis clarum lumen, et alter fuerit appellatus Augustinus. Unde sancti Thomas, et Bonaventura, Scotus et alii doctores e schola Hugonem nostrum suarum sententiarum fautorem saepius laudant, et patronum sequuntur. Res est notior quam ut illis comprobetur exemplis, quae in illorum commentariis passim occurrunt. Totus ergo litteris et monasticis institutionibus deditus nullum in monasterio munus exercuit, nequidem prioris: tantum abest ut abbas fuerit contra quam recentiores nonnulli

Tritemius, Sixtus Senensis, Garzonius Lateranensis canonicus, et alii ex incerta fama prodiderunt. Supremum diem egit tertio Idus Februarii aetatis suae anno 44, Christi 1140, quo Gilduinum abbatem primum vivere adhuc, et vixisse postea significant scriptae ad eumdem Coelestini (Ann. Chr. 1143), Eugenii III (ann. Chr. 1147), Anastasii IV (ann. Chr. 1153), Hadriani IV (ann. Chr. 1154), epistolae, quae in archivo monasterii asservantur. Memorant Vincentius Bellovacensis, Durandus Mimatensis et Joannes Parisiensis Hugonem, dum morti vicinus lecto decumberet, non consecratam respuisse hostiam, quae pro viatico porrigeretur. Sed quod Mauritio Parisiensi episcopo Jacobus de Vitriaco et Caesarius, synchroni testes et aliquod manuscriptum carmen, id in Hugonem nostrum perperam transferunt.

EPISTOLA OSBERTI DE MORBO ET OBITU HUGONIS.

His accedit inedita de morbo et obitu Hugonis epistola, quam frater Osbertus valetudinarii praefectus ad fratrem Joannem familiarem suum scripsit.

Ea autem sic se habet:

Dilecto sibi in Christo F. Joanni, frater Osbertus in Domino semper valere. Pio postulas desiderio, charissime frater, quatenus de transitu dilecti tui videlicet M. Hugonis aliquid tibi scribam, ut secundum veritatem scire possis quomodo se habuit in illa sua extrema aegritudine. Accipe igitur quod desideras, sancte, pie, et juste per omnia; sed fortasse non vis me tam brevi loqui, et plenius audire de fine illius desideras. Non omnia explicare possum, pauca tamen quae praesens vidi, accipe. Hoc enim, nisi fallor, in petitione vestra fuit, ut nihil tibi scriberem, nisi illa quae a me vel visa vel audita fuissent; non dico de pura, plena et perfecta confessione, quam domino abbati et mihi satis diligenter, et ultra humanum modum profusis lacrymis, cum magna cordis contritione fecit, non prosequor crebram gratiarum actionem, quam pro sua praesenti aegritudine me audiente agebat Domino nostro Jesu Christo, illum psalmum saepe de cordis exultatione eructans: Benedictus Dominus Deus meus in aeternum. Non in his immoror. Ad illa quae circa finem vitae suae dixit, vel fecit, veniam: et de his nobis erit sequens sermo. Pridie quam de hac vita transiret, mane veni ante illum et quaesivi ab ipso quomodo se haberet. Et cum respondisset bene sibi fore et in anima et in corpore, dixit mihi:

“Estne aliquis praeter nos duos?”

et ego:

“Non,”

inquam. At ille:

“Celebrasti, inquit, hodie missam?”

et cum respondissem hoc me fecisse,

“accede, inquit et insuffla in faciem meam in modum sanctae crucis, et accipiam Spiritum sanctum.”

Quod, cum prout jusserat fecissem, ipse Davidicum illud subjunxit:

“Os meum aperui et attraxi spiritum (Psal. CXVIII),”

fideliter intelligens et apostolos ex Domini Jesu insufflatione Spiritum sanctum accepisse credens, aperto ore, quasi hauriebat Spiritum de spiritu, et quia sciebat secundum Domini sententiam omnia possibile esse credenti, ab homine posse accipere credebatur quod ab homine non erat. O virum per omnia Catholicum! qui jam in extremis positus a sacerdote propter mysterium et communionem Dominici corporis et sanguinis, posse sibi Spiritum sanctum dari fideliter credidit, et tam devote expetiit. Tunc statim exhilaratus, credo, Spiritu Dei confortatus, in haec verba laetabundus erupit:

“Modo, inquit, securus sum, nunc in veritate et puritate ambulo, modo fundatus sum supra firmam petram et non possum moveri amplius: nunc licet totus mundus cum delectationibus suis veniret coram me, quasi pro nihilo ipsum reputarem, nec pro ipso toto aliquid contra Deum facerem. Modo praecipue cognosco misericordiam Dei circa me, ita ut de omnibus quae fecit mihi Deus in tota vita mea usque ad diem hanc, nihil horum tam gratum, tam suave, tam acceptum mihi esse potest, quam hoc, quod in praesenti mecum facere Deus dignatus est.

Benedictus Dominus Deus meus in aeternum.”

His dictis humiliter petiit ut absolverem ab omnibus quae contra Deum fecerat. Hinc dimisi eum quiescere, facta prius absolute prout petierat, et sic recessi a lecto ipsius. Proxima vero sequenti nocte circa galli cantum coepit graviter, et magis solito infirmari, ut occurrenti mihi ad eum, statim ut loqui coeperat, locutus est mihi de salute animae suae. Dehinc cum absolveretur a fratribus qui aderant, suggesti ei de recipienda sacra unctione. At ille cum gaudio suscipiens verbum, praecepit nobis ut ea quae necessaria forent parare non tardaremus. Inde peractis omnibus jam illuxerat dies, et fratres circumvenientes circa eum fecerunt pro more visitationem cum psalmis et orationibus. Qua expleta interrogavi eum an vellet exspectare, donec dominus abbas veniret; non enim tunc praesens erat, sed mandatum fuerat illi, ut celeriter venire deberet. At ille mihi respondens:

“Facite, inquit, quod facturi estis, quandoquidem Deus vos congregavit.”

Convenerant enim ad eum multi venerabiles religiosi, monachi, canonici regulares ac presbyteri et caeteri clerici, laicorum etiam non defuit copia. Celebrata igitur unctione, quaesivi ab ipso si vellet accipere corpus Domini, non enim paratum erat in praesenti, quia nudius tertius communicaverat. At ille magna cum increpatione respondit mihi:

“Deus meus! quaeris si velim Deum meum? curre cito in ecclesiam et affer cito corpus Domini mei.”

Quod cum, prout jusserat, fecissem, veni ante lectum ejus et tenens panem sanctum vitae aeternae manibus meis:

“Adora, inquit, et cognosce corpus Domini nostri.”

Ille vero erigens se, quantum valebat, et extollens utrasque manus suas ad sancta illa:

“Adoro, inquit, coram omnibus vobis Dominum meum, et accipio ut salutem meam.”

Deinde, post comestionem corporis Jesu, petivit ut daretur sibi crux, quae ibi praesens erat. Quam cum accepisset in manus, signavit se cum eadem cruce, et postquam multum devote osculatus est eam, accepit pedes crucifixi in os suum, et sic diu tenens pedes in ore suo, sanguinem, qui de pedibus arte pictoris manare videbatur, quasi infans ad ubera matris obortis lacrymis suxit. Credibile est, quia sicut coram astantibus nobis carnem Filii hominis manducaverat, ita vir sapiens tunc etiam quodammodo sanguinem ejus visibiliter bibere voluerat. Parvo post haec interjecto spatio, cum suggestissem ei ut diceret versum illum:

“In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (Psal. XXX),”

ille respondit:

“Credo quod existimas me facere quaestionem de eodem versu.”

Et velle ab eo solutionem audire dixit.

“Dominus, inquit, Jesus Christus exiturus de hoc mundo dixit hoc: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum quem tradidisti mihi, et a te accepi. Quo dicto, siluit, et irruente hora mortis ad modicum loqui non valens et ipse Pater suscepit illum.”

Ad quem ego.

“Et tu, inquam, qui exiturus es de hoc mundo, debes id dicere ut Deus suscipiat spiritum tuum.”

Proinde ille paulisper secum existens et alta ducens suspiria, omnibus nobis audientibus, tandem in haec verba prorupit:

“In manu inquit, et in fortitudine tua commendo spiritum, Domine, quem tradidisti mihi et a te accepi.”

Quo dicto siluit et irruente hora mortis, ad modicum loqui non valens, iterum rediit, et, resumpto spiritu, nescio quid secum dicere coepit, et cum quaesisset ab ipso quid diceret, aperta voce respondit, et ait:

“Consecutus sum.”

Et ego:

“Quid, inquam, consecutus es?”

at ille prae nimia angustia plena verba proferre non potuit, et cum iterum interrogaretur in quantum intelligere potuimus, qui circa eum stetimus, hoc respondit:

“Accipiet, inquit, spiritum meum.”

Deinde propria manu pectus tundens invocavit beatam Dei Genitricem dicens:

“Sancta Maria, ora pro me.”

Resumpto spiritu:

“Sancte Petre, inquit, ora pro me.”

Et post pusillum locutus est mihi:

“Quem, inquit, de sanctis amplius invocabo?”

Et cum nominassem sanctum Victorem,

“Sancte Victor, inquit, ora pro me.”

Haec dixit et siluit et os iusti clausum est, quod sapientiam parturire consueverat: et lingua sapientis, quam melius secundum scientiam ornaverat, faucibus adhaesit. Post haec quasi per spatium unius horae supervixit. Et sic astantibus et orantibus fratribus reddidit spiritum in manus ejus, ut credimus, cui illum dudum tradiderat, et in cuius fortitudine ipsum eundem spiritum commendaverat. Transivit autem venerabilis et eruditissimus doctor Hugo de hoc mundo in confessione summae Trinitatis tertio Idus Februarii, feria III, hora 3 ipsius diei, bonus, humilis, mansuetus et pius.

QUAE HUGONIS EXCESSUM CONSECUA SUNT.

Ex iis autem quae Hugonis excessum consecuta sunt, memorandum profecto est id quod Joannes Aquila Caroli Valesii clericus publico instrumento sic asseruit:

Omnibus Christi fidelibus Joannes Aquila humilis Christi servus aeternam in Domino salutem. Omnipotentis Dei beneficia suis clare impensa fidelibus et prudentibus servis non sunt abscondenda, nec ponenda sub modio oblivionis, sed super candilabrum jugis memoriae, ut luceant omnibus, qui in domo Dei constituti sunt, et ut posteris exemplum praebeant, qualiter unusquisque talentum sibi creditum studeat Domino duplicatum reportare. Quia vero inter caetera Dei beneficia, mihi Joanni Aquilae sacerdoti, licet indigno, divinitus impensa, unum Deus omnipotens per suam ineffabilem clementiam concedere dignatus fuit, non meis meritis, sed sola dignatione misericordiae suae, per merita et intercessionem celeberrimae memoriae et sanctae recordationis reverendi M. Hugonis de Sancto Victore olim canonici et solemnissimi magistri sacrae theologiae, in monasterio Sancti Victoris Parisiensis. Qui licet per sacrosanctam matrem Ecclesiam, sanctorum catalogo ascriptus non fuerit, ideoque non audeam ipsum praesumptuose propria temeritate appellare vel nominare sanctum, ipsius tamen scriptis authenticis, gestis laudabilibus, sanctisque operibus, quibus in vita sua floruit et salubriter fructificavit, caeterisque meritis suis exigentibus, pie credo ipsum inter caeteros beatos esse magni meriti apud Deum. Et, ne de hujusmodi taciturnitate vel ingratitude beneficii mihi a Deo miraculose collati per ipsius Venerandi M. Hugonis, et pie credo, merita, offensam Dei et suam incurrere possim (quod absit!) miraculum quoddam, quatenus de facto accidit, duxi tenore praesentium praesentibus et posteris publicare. Anno siquidem Domini millesimo trecentesimo vicesimo quinto, mense Julio, circa festum beatae Mariae Magdalenae, gravis infirmitas invasit dominum Carolum comitem Valesii, dominum meum, cujus obsequiis

insistebam: cumque de ipsius vita, vel hujusmodi infirmitatis evasione desperaretur a medicis, ad Dei omnipotentis misericordiam et sanctorum suffragia duxi salubriter recurrendum, et per loca religiosa et collegiatis ecclesias Parisius discurrens, missas de Spiritu sancto et alia orationum suffragia, supplicavi pro eodem comite humiliter celebrari. Cumque in hujusmodi prosecutione propositi discurrerem, contigit me ad monasterium Sancti Victoris Parisiensis personaliter pervenire, cujus claustum ingrediens, reduxi ad memoriam scripta authentica, et gesta laudabilia, caeteraque sancta opera fructuosa praefati sanctae memoriae venerandi magistri, ad quam duxit me ejusdem canonicus, ostendens mihi unam parvam et humilem tumbam lapideam, quae est in ingressu per quem itur de dicto claustro ad ecclesiam dicti loci, ubi cum devotione vovi Deo et B. Virgini quod, si per merita et intercessionem praefati venerandi magistri placeret vitam prolongare domino meo praefato, oblationem meam Deo ac B. Mariae ac praefato magistro devote redderem, cum affectione qua possem Dei gratiam ac misericordiam ac Beatae virginis Matris suae humiliter interpellans, et praefati venerandi magistri merita et intercessionem dicti magistri, (ut pie credo) quod hora vel quasi voti emissi praefatus dominus meus per Dei gratiam craticavit, et de sua infirmitate adeo convaluit, quod per aliqua tempora postea vixit, votique promissionem juxta possibilitatem meam complevi: narrans cuidam de fratribus dicti monasterii et manifestans quid tunc miraculose contigerat in persona dicti domini mei ad Dei laudem et gloriam et per merita praefatae sanctae memoriae venerandi M. Hugonis de Sancto Victore. Et hoc idem omnibus nobis Christi fidelibus per hoc praesens scriptum signo meo solito, quo tanquam publicus auctoritate apostolica notarius hactenus usus fui, significo, ut de virtute in virtutem et de bono in melius semper cum Dei adjutorio pariter proficere studeamus. Acta sunt haec Parisiis anno et mense praedictis. Ego Joannes Aquila clericus Xantonensis publicus auctoritate apostolica notarius, huic scripturae praesenti, propria manu apposui signum meum solitum in testimonium praemissorum.

Hoc autem miraculum, quo testatissimam esse Hugonis sanctimoniam voluit Deus, in causa fuit, cur postea corpus illius e claustro pone majus altare transferretur, ubi hodieque in eminenti tumulo conditum visitatur cum elogio, quod abbas Guillelmus a Sancto Laudo composuit. Ex quo tempore coepit hic tumulus paulo religiosius haberi. In quibusdam enim festis diaconus qui majori missae inservit, altare Beati Dionysii et tumulum Reginaldi Parisiensis episcopi et Hugonis nostri incenso thure suffitum vadit. Caeterum, celebre tanti doctoris nomen forsitan effecit ut cononici regulares S. Joannis in Laterano suum esse Hugonem venditarint, sed id tam imperite tentatum est a Garzonio Lateranensi canonico, ut sua sponte rei falsitas dissiliat. In Hugonis enim operibus quae anno 1588 Venetiis imprimi curavit Garzonius, hanc magistri Hugonis de Sancto Victore canonici regularis Lateranensis epigraphen singulis tractatibus et libris praefixit, quo nihil falsius est, aut a prisca traditione alieus. Longe aliter se, habet Parisiensis editio, quae anno 1526 accurata est; in hac enim sicut et in manuscriptis exemplaribus, unde prodiit Lateranensis nomen nec legitur nec legi debet, quod et Necrologia Sancti Victoris et plures antiqui scriptores confirmant, a quibus Hugo non Lateranensis canonicus, sed Parisiensis de Sancto Victore nuncupatur.